

Kreis  
teinfurt

S 197

1281.

[94

197

Die Edle Mechtildis von Holte schenkt den Johannitern die Kirche, das Pfarrhaus, den Zehnten und das Patronatrecht zu Balsum, Kr. Duisburg.

Megthildis matrona nobilis, domina de Holte, omnibus presentia visuris etc. Pensatis desiderii et voto in corde Dei inspiratione concepto, quibus dilectus filius noster Johannes, vir nobilis, dominus de Arenberge, toto nisu cordis ad terram anhelabat sanctam, eoque de medio sublato voto non expleto, hinc est, quod doloribus afficimur, quod nos, ut decet, maternis affectionibus intuentes nostro iudicio videtur concedens et honestum animeque sue saluiferum, ipsius divini spiraminis meritum aliquo gratiarum actionis respicere premio licet minus condigno et operibus satisfactionis animam eius, in quantum ad presens possumus, relevare, ut votum, quod vivus explere non potuit, Domino secundum suum placitum sic volente, qui est benedictus, per nos expleat iam defunctus. Volentes igitur, ut fructus desiderii sui aliquis appareat terre sancte, ad voluntatem et preces merito exaudiendas dilecte nobis domine de Arenberg, relicte eiusdem filii nostri, et ob sincere dilectionis affectum, quem ad terram sanctam habuit filius noster iam dictus, nos intuitu favoris, quem habemus ad sanctam domum hospitalis ordinis sancti Johannis necnon ad fratres ipsius domus, quos dilectione prosequimur speciali, ecclesiam in Walsem cum dote et decima sua et omnibus eius preventibus sibi annexis damus animo liberali iusto donationis titulo fratribus sancte domus prenominate ad utilitatem terre sancte cum iure patronatus perpetuo possidendam pro salute anime filii nostri et omnium progenitorum nostrorum et in remissionem peccatorum nostrorum tali intentione, ut dicti fratres ibidem Domino perpetuo famulaturi perpetuam faciant in eadem ecclesia residentiam personalem, salva decima nostra et aliis bonis nostris in eadem parrochia sitis, que nobis et nostris successoribus reservamus, supplicantes omnibus successoribus nostris, ut hanc donationem nostram non infringant, sed potius augeant et confirmant. Et quoniam bonum opus bono testimonio debeat iure perhennari, ut hec donatio nostra firma perpetuis temporibus permaneat, nos super hoc scriptum nostrum supradictis dedimus fratribus in testimonium veritatis et id sigilli nostri appensione fecimus communiri. Datum et actum anno Domini M<sup>o</sup>cc<sup>o</sup>lxxx<sup>o</sup>.

Kopie im Kopiar A fol. 36\*; danach gedruckt Darpe, S. 22. Registr Riefert V. S. 66, Nr. 1.